

*saria*: ibi cogitare licet aut non cogitare hîc aliter atque aliter de re eâdem, quæ vera sit, cogitare non licet. Hinc intelligitur difficilior Cartesii locus initio Med. quinte: *quamvis à me ad arbitrium quodammodo cogitentur* scil. ideæ verarum rerum (nempe de iis possum cogitare aut non cogitare, ac proinde libera sum cogitationis causa, libertate contradictionis sive ad exercitium actûs) *non tamen à me finguntur, sed suas habent veras & immutabiles naturas* (adeoque ego non habeo libertatem contrarietatis seu ad specificationem atque non sum liber, non enim possum ex. gr. ternarium cogitare tanquam ex binario & unitate compositum, aut non ita compositum, tanquam numerum imparem aut parem &c. neque Ens summè perfectum possum cogitare ut existens aut non existens, aut bonum aut malum, aut sapiens aut ignarum; sed necessario, semper existens, summè bonum, summè sapiens cogito: at equum possum cogitare cum alis aut sine alis, quoniam cogitatio de equo alato non necessariò requirit equum alatum pro causa exemplari, sufficit ut separatim existant equus & alæ

alæ